



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Ga  
45  
93



Ca 45.93



Harvard College Library

THE GIFT OF

STEPHEN SALISBURY,

OF WORCESTER, MASS.

(Class of 1817.)

8 Dec., 1900.

Vertical line of text on the left margin, possibly a page number or header.







Jahresbericht  
über das  
**Gymnasium zu Meppen.**

Schuljahr 1871—1872.

Womit  
zu den öffentlichen Prüfungen am 23. August,  
so wie  
zu der Entlassung der Abiturienten und Prämienvertheilung  
am 24. August  
ehrerbietigst einladet  
der Director des Gymnasiums  
**Dr. Wilken.**

⊙  
Vorab geht:

*De anno, quo natus sit Andocides orator, commentatio.*

Vom Corrector Dr. Völcker.

---

**Meppen.**  
Druck von H. Wegener.  
1872.

Q a 45.93

DEC 8 1953

Salisbury fund

Ex veteribus scriptoribus unus Plutarchus diserte, quo anno natus sit Andocides orator, memoriae mandavit in libro, cui inscriptum est: „Βίοι τῶν δέκα ῥητόρων.“ Exstant apud eum haec: 1) Καὶ ἤκμακε μὲν κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον ἅμα Σωκράτει τῷ φιλοσόφῳ, ἄρχει δ' αὐτῷ τῆς γενέσεως Ὀλυμπιάς μὲν ἑβδομηκοστῆ ὀγδόῃ, ἄρχων δ' Ἀθήνησι Θεογενίδης ὥστ' εἶναι πρεσβύτερον αὐτὸν Λυσίου ἔτεσι πον ἑκατόν,“ et, qui scrinia eius compilavit, Photius 2) iisdem fere verbis reddit: ἀρχὴν αὐτῷ τῆς γενέσεως γενέσθαι ἢ καὶ ὁ Ὀλυμπιάδα.“ Quos secuti omnes fere viri docti, qui de Andocide scripserunt, hunc ipsum illius statuerunt annum natalem neque recentiorum Sluiterus 3) et, qui librum eius cum suis annotationibus iterum edidit Schillerus, quamquam tam multa subtiliter atque argute animadverterunt, aliter senserunt, nec Beckerus, 4) nimia, ut videtur, erga Plutarchi libellum religione ductus, huius auctoris testimonium de anno natali Andocidis addubitavit. Hunc enim libellum, quem antea omnes fere viri docti, qui de eo disseruerunt, Plutarcho abiudicaverunt, auctoritatem secutus Hieronymi Wolfii, qui ab ipso Plutarcho scriptum censuerat, „ut haberet quaedam adversaria sive collectanea, in quae conjiceret, quaecunque ad decem oratores pertinerent, eorum vitas olim ex ordine accurateque descripturus,“ Beckerus l. l. primus accurata diligentia operam dedit, ut vero auctori vindicaret et cur et quomodo hic scripsisset, exponeret. Nec frustra, ut videtur. Nam eo nisus argumento, quod sane gravissimum est, ut a Lampria patris opus vocaretur, aliis hoc argumentis ex ipsius rei visceribus petitis non impugnari, optime demonstravit, probans, Plutarchum hoc in libro non nisi adversaria undecumque collegisse, quae postea suo iudicio interposito accuratiusque disquisita elaborataque in lucem ederet, aut quibus eorundem oratorum vitas iam antea conscriptas

1) XII. pg. 229 Hatten.

2) Cod. 261 pg. 488 Bekk.

3) Jani Ottonis Sluiteri lectiones Andocidaeae. Iterum c. annot. ed. E. Schiller. Lips. 1834.

4) Andokides übersetzt und erläutert von Dr. G. A. Becker. Quedlinburg und Leipz. 1832.



angeret mutaretve. et sic eorum sententiam refutavit. qui propter dicendi formam incomptam atque inconditam et propter multos in rebus enarratis errores hoc opus viri ingenio indignum habuerunt. Idem fere Westermanno placet in „commentatione de auctore et auctoritate libri qui inscribitur vitae X oratorum“, neque Meierus Halensis adversariorum huius sententiae facile gravissimus in „commentatione quarta de Andocidis, quae vulgo fertur oratione contra Alcibiadem,“ negare potest. exstare in istis vitis, quae cum reliqua Plutarchi ratione dicendi minime discrepent, sed quae eadem sapiant commentatorem, qui aliquam cum Plutarchi libris forte familiaritatem contraxerit. Et merito quidem in Vitarum auctorem invehitur ob errores, qui „ab magno scriptore ne somniantem quidem committi possint,“ quorum unum potissimum ex vita Antiphontis desumptum recte castigat; neque acerbiora sunt, quae addit: „Nam haec non est unius alteriusque loci, unius vitae, sed eadem totius libri ratio, quo decem oratorum vitae perscriptae sunt; evolve, ut hoc quoque utar, Andocidis vitam; scatet ea quidem sordibus, quas librariorum culpa contraxerit, atque maximam partem deficientibus melioribus libris nunc emaculati non licet, sed quidquid per has sordes intelligi potest, nihil est non erroribus ipsius scriptoris inquinatum.“ 5) Quorum errorum vel maxime insignem, locus, quem supra laudavimus, in iis, quae de Lysia, ibidem allata sunt, exhibet: ὡστ' εἶναι προσβέτιον αὐτὸν Ἰσοίων ἐπειὶ πον ἑκατόν, quod ineptissimum esse, sive librariorum culpa hoc vitium contraxit, sive sua negligentia erravit Plutarchus, vel leviter adspicientibus apparet. Ea quoque medicina, quam ipse auctor in vita Lysiae huic loco afferre videtur, neque ipsa sana et vitio tollendo minime idonea est; probat eadem, recte reprehendisse Meierum, neque tamen Beckeri sententiae, quam supra commemoravimus, officit. Relatum enim legimus ibidem: 6) γινόμενος (Ἰσοίας) Ἀθήνησιν ἐπὶ Φιλοκλέους ἄρχοντος τοῦ μετὰ Φρασικλή κατὰ τὸ δευτερον ἔτος τῆς δευδοχουστῆς δαλυπιείδος et haud ita multis interpositis in eadem vita auctor, tamquam alio quodam atque antea usus esset fonte neque ipse rem certam atque exploratam haberet et addito, quod est quasi dubitantius loquentis, verbo φασίν, idem iterat: 7) γινεθῆναι δὲ φασιν ἐπὶ Φιλοκλέους ἄρχοντος, id quod sane collectanea exarantem sapit. Quibus locis si fides habenda esset, vocabulo ἑκατόν cum Vatero 8) substituendum esse δέξα, neque ut placuit Tayloro ὀκτώ, ut aliis ἐννέα, εἴκοσι legendum esse, facile apparet. Quid vero, quod hac ratione cum plurimum librariorum mendam tollatur? Nam in re enarrata Plutarchum vel sic vehementer errasse, non minimum eiusdem Vateri opera praestantissime de ea re disserentis 9) constat, neque amplius dubium, Lysiam nullo modo Phi-

5) L. I.

6) op. 230 Hatten.

7) op. 232 Hatten.

8) Rerum Andocidearum part. I. pg. 34.

9) Rerum Andocidearum part. II. Jahn's Jahrbucher Jahrgang 1843.

loce archonte, sed multo demum post — ut visum Vatero Ol. 87, 1 — editum esse posse.

Iam vero si quis nobiscum in Beckeri de auctore Vitarum sententiam animum acclinet, Ruhnkenii, Taylori, Meieri, aliorum, qui Plutarcho libellum illum abiudicarunt, et ipsius Beckeri <sup>10)</sup> argumenta satis superque monent, ne nimia forte erga Plutarchi nomen religione ducti, nimiam rebus in hisce collectaneis enarratis fidem habeamus; sed iure quidem plus iis tribuere licebit, quas ex antiquioribus rerum scriptoribus auctor hausisse videtur, quam iis, quas, unde sumpserit, ne opinione quidem augurari possumus. Neque tamen haec indigna censeas, quae verane sint an falsa cum aliis, quae istis cohaerent, comparando et utrum cum temporis rationibus atque conditione congruant perscrutando, coniectura assequaris. Idem fere de Photio, qui Plutarchum compilavit, dicendum esse, ex ipsius rei natura elucet.

Sed redeo in viam et ad locum Vitarum, quem in principio huius dissertationis laudavi. Quodsi, quae praemissa sunt, efficiunt, id quod ibi tamquam parergon de anno natali Lysiae adiccerit auctor Vitarum, a veritate abhorrere, iam quam exigua, ne dicam nulla fide sit in rebus, quas diserte asserit, iisque in quibus maiorem curam vel collectanea exarantem adhibere oportebat, idem noster locus probat. Nam eundem, cum de anno, quo natus sit Andocides, afferat, quae et ipsi verissima visa esse speciem habent — deest enim illud *φασίν*, quod in Vita Lysiae scriptorem <sup>11)</sup> quodammodo dubitantem prodit — aequae atque de Lysia falsa prompsisse, nemini amplius dubium esse poterit, cuius in manus Meieri et imprimis Vateri ea de re subtilissimae disputationes pervenerunt. Quorum quidem virorum doctorum Pseudoplutarcho, ut volunt, hac in re fidem denegantium primus Meierus <sup>12)</sup> Andocidem multo post illud tempus, quo natum Vitae cum exhibent, editum esse, optime monet, post illum Vaterus <sup>13)</sup> acutissime de eadem re disputans, idem necessarie demonstrat, inmo vero, qua in re, vereor, ne nimius sit, eundem ipso tertio olympiadis octogesimae quartae anno <sup>14)</sup> natum evincere conatur. Tempore recentiore nemo, quod sciam, inventus est, qui data opera eam in rem inquireret.

Sed antequam ad Vateri argumenta perscrutanda aggrediamur nostraque adiciamus, paucis modo, ut de re non amplius dubia, dicendum videtur de tempore, quo orationem de mysteriis profanatis habuerit Andocides, cuius extrema potissimum parte tam fuse de se suisque agit orator, ut, quam unam fere pro fundo habeat Vaterus, cui totam

<sup>10)</sup> L. l. pag. 129.

<sup>11)</sup> L. l.

<sup>12)</sup> Comment. III de Andocidis, quae vulgo fertur contra Alcibiadem, oratione.

<sup>13)</sup> *Res. Andoc.* partic. I.

<sup>14)</sup> L. l. pag. 41.

sua quaestionem superstruat, eandem nos aequè atque ille in nostros usus versurū simus.

Iam Clintonus 15) Ol. 95, 1 habitam esse collegit ex oratione ipsa: 16) „*Ἀλλὰ γάρ, ὦ ἄνδρες, διὰ τί ποτε τοῖς ἐμοὶ νῦν ἐπιτιθεμένοις μετὰ Καλλίου καὶ συμπαρασκευάσαι τὸν ἀγῶνα καὶ χρήματα εἰς ενεργουσίην ἐπ' ἐμοὶ τρία μὲν ἔτη ἐπιδημιῶν καὶ ἤκων ἐκ Κύπρου οὐκ ἀσεβεῖν ἐδόκουν αὐτοῖς, — — — — — νῦν δὲ ἀσεβῶ καὶ ἀδικῶ εἰσὼν εἰς τὰ ἱερά,*“ de tempore, quo e Cypro in patriam rediit orator, 17) teste usus Plutarcho, qui limpido ex fonte hausisse videtur, quae in Vit. X orat: 18) refert: *κατελθόντων τῶν περὶ Θρασύβουλον καὶ αὐτὸς (Ἀνδοκίδης) ἤκεν εἰς τὴν πόλιν,* cum verisimillimum sane sit, Andocidem nulla mora interposita, cum primum triginta tyrannis expulsis ἀμνηστίας praecipue lege mense Boedromione Ol. 94, 2 lata, tranquilla republica cives fruerentur, e Cypro, ut idem 19) ex ipsorum accusatorum ore refert, in patriam reversum esse. Et mire, si cum Clintone Andocidem statim post oblivionis legem reducem facis, temporum ratio convenit. Nam cum mense Boedromione orator de mysteriis profanalis causam diceret, id quod ex ipsa oratione 20) — *ταῖς δ' εἰκάσι μνηστῆρισις τούτοις — — — ἐνδείκνυσι με καὶ εἰς τὸν ἀγῶνα τούτον καθίστησι* — sequitur, ipsi tres anni integri inter reditum oratoris et orationem de mysteriis habitam, interfuere. Si cui tamen haec minus probata sint, is Vaterum adire potest, qui 21) aliam ingressus viam eodem pervenit et subtilissime disserendo de tempore, quo vectigalia conduxerint Agyrrhius et Andocides, 22) istam orationem Ol. 95, 1 re vera habitam esse, evincit. Neque illud obstat, quod ibidem 23) de se praedicat Andocides, *ἀρχιθεωρὸν εἰς Ἰσθμὸν καὶ Ὀλυμπίαζε* ab accusatoribus sese designatum fuisse. Nam ludos Isthmicos iam Ol. 94, 3, cum anno ante, eo usque exul, ut vidimus, domum rediisset, adire potuit, ludos Olympicos sane non prius, quam illo ipso anno, quo de mysteriis dixit; (Ol. 95, 1) sed cum ludi illi mense Hecatombaeone celebrarentur causamque de mysteriis profanalis Andocides diceret mense Boedromione, non est, quod tum eum ex itinere domum reversum non putemus. Atque tantum de hac re, pergo ad Vateri argumentationem.

Et primum quidem in aetate Andocidis exploranda nititur v. d. iis, quae de inimicitiiis, quas habuerit cum Callia, orator affert in oratione de mysteriis profanalis, 24)

15) Fast. hell. pg. 97. Krüg.

16) De myst. § 132.

17) Fast. hell. pg. 93. Krüg.

18) pg. 229 Hutten.

19) De myst. § 4.

20) Ibid. § 121.

21) L. I. pg. 35.

22) De myst. § 133.

23) D. m. § 132.

24) § 117 e. q. s.

ut probet, eandem non a sene, sed a viro habitam esse. Namque haec disserit. „Epilycus, Tisandri filius, qui nuper in Sicilia mortuus erat, duas reliquerat filias epicleros: harum alteram Andocides in matrimonium petiverat, alteram Leager, qui genere proximi essent. Et ea quidem virgo, quam ducturus erat Andocides, immatura morte absumpta est, altera vero supererat, eamque ut cederet sibi Leager pecuniam pollicitus Callias Hipponici f. efficiebat, quod cum innotesceret, a Leagro postulavit Andocides, ut aut ipse duceret, aut sibi cederet. Tum Callias, re cognita, die X. m. Boedr. epiclerum illam petivit Protarcho filio suo, quem e Chrysiade avia illius virginis genuerat; utque Andocidem depelleret die XX. ejusdem mensis, ipsis mysteriis, data pecunia, Cephisium actorem subornavit. Neque vero detrectavit litem Andocides; igitur die post mysteria Callias, quo adversarium perderet et ipse Epilyci filiam data pecunia haberet, olivae ramum in ara posuit: postremo, cum ne sic quidem terreret Andocidem, ejus amicos adiit, se litem compositurum esse ea condicione, ut sibi virgo in matrimonium daretur. Sed ne tum quidem puellam sibi eripi passus est Andocides, sed maluit vitae periculum subire, quam illam cedere. Haec qui legerit, negabit, senem duodeseptuagenarium loqui: nonne ridere debebant iudices, cum audirent, senem hunc pro nuptiis inimicitias gravissimas suscipere et in ipsum vitae periculum venire.“<sup>25)</sup> Subiungit exempla ex antiquitate petita et veterum scriptorum dicta, quae doceant, vulgo hominum opinione talia, quae senes cum puellis florentis aetatis forte iniissent, matrimonia ridicula fuisse.

Iam vero quamquam negari non potest, Andocidem, qui, si Plutarcho fides est, septuagenarius tum fuit, ardore quodam iuvenili etiam coram iudicibus locutum esse de nuptiis, quas ipse cum filia illa inire mallet, quam Calliae illam cedere, nec parva illum propterea subiisse pericula, quae omnia, si cessisset, fugere potuisset, tamen eundem, licet senex fuerit, ea potissimum, qua tunc usus sit condicione, ita potuisse facere et iudicibus risum non movere, est quod credamus. Nam, ut primum leviora moneam, quis, quaero, cui vel minima erga cognatas pietas est, aequo animo ferre possit, consobrinam suam homini tam abiecto nubere tamque impudico, qualem Calliam ipse orator describit,<sup>26)</sup> ut qui, stupro cum matre uxoris peracto, incestare neptem minime dubitaret et tam parvi religionem iurisiurandi faceret, ut filium, quem antea eiurasset, postea suum esse iureiurando confirmaret.<sup>27)</sup> Neque Athenienses, credo, seni Andocidi vitio versuros fuisse, si ipse suo iure filiam illam ducere, quam homini nequissimo eam cedere mallet, praesertim cum, Leagram frustra hortatus, soli necessitati parere videretur. Adde, quod et veteres simultatum offensas inter Calliam et Andocidem fuisse, credibile est, quae eadem cives latere non poterant. Nam fallor, aut inter consortes Agyrrhii,

25) Rer. And. partic. I pg. 36.

26) De myst. 124—132.

27) De myst. 126 et 127.

quibuscum orator de vectigalibus conducendis certavit, Callias quoque fuit, quod quidem colligo ex loco orationis de mysteriis profanatis: 28) Ἀγύφδιος γὰρ οὕτοσί, ὁ καλὸς κἀγαθός, ἀρχώνης ἐγένετο τῆς πεντηκοστῆς τρίτον ἔτος, καὶ ἐπρίατο τριάκοντα ταλάντων, μετέσχον δ' αὐτῷ οὗτοι πάντες οἱ παρασυλλεγέτες ὑπὸ τὴν λέικην, — et iam ea ex re acerbissimae inter ambos inimicitiae gravissimaeque irae provenisse videntur. Cui quidem sententiae nihil repugnat, quod antea Andocidem γυμνασίαρχον Ἐφραιστειοῖς et ἀρχιδεωρὸν εἰς Ἴσθμὸν καὶ Ὀλυμπίαζε 29) designaverant idem Callias subscriptoresque, cum constet, eos non voluntate, qua forte erga eum fuerint, ita fecisse, sed eo potius consilio, ut sumptibus, quos munera illa poscerent, rem suam minueret, neque amplius illorum negotiis obsesset. Itaque dici sane licet, nequitiam Calliae et simultates, quas cum illo agebat Andocides, satis graves causas apparere, quibus ductus, quamquam septuagenarius, filiam illam tum vix adultam neque divitiis, quarum illecebris traheretur, abundantem 30) sibi ipsi postularet, quo Calliae eiusque filio Protarcho eriperet, eademque idoneae videntur, quae civibus eum excusarent. Neque vero, quod est gravissimum, ea res omnino ab Atheniensium more et civili consuetudine abhorruisse videtur, quod quidem eo patet, quod lex illis exstabat, qua, qui talem puellam ἐπίκληρον ex iure duxerant, ter singulis mensibus cum illa concumbere iuebantur, quod quominus facere possent, si corporis imbecillitas aetasve nimis provecta impedimento esset, ipsorum loco cognati proximi facere tenebantur. 31)

Verum quid eo argumento refellendo diutius immoremur, quod ne Vatero quidem satis validum visum esse, ex ipsius verbis colligo, 32) quibus ad aliud transit argumentum sine dubio magis idoneum ad fidem faciendam? - „Haec igitur ut ridicula quidem dicas, sed quae tamen potuerint fieri; illa tamen non est credibile a sene septuagenario dicta esse, quae in extrema oratione (d. m. 148) leguntur: *Τίνα γὰρ καὶ ἀναβιβάζομαι δεησόμενον ὑπὲρ ἐμαντοῦ; τὸν πατέρα; ἀλλὰ τέθνηκεν. ἀλλὰ τοὺς ἀδελφοὺς; ἀλλ' οὐκ εἰσίν. ἀλλὰ τοὺς παῖδας; ἀλλ' οὐ πω γεγέννηται.* Haec enim non potest fieri, ut ab Andocide dicta esse credantur ea occasione, eo loco, iis coram hominibus, apud quos non risum et cachinnos sed miserationem movere vellet, si eam aetatem egit, quam vitae scriptor ei tribuit. — — — — — Accedit quod tota oratio nullum omnino senii prae se fert signum, sed virili et constanti aetati soli omnis convenit. Igitur vel ob solas has nuptias et ob spem prolis procreandae non LXVIII annos natum dixerim Andocidem, cum contra Cephisium oraret, sed XL.“

Verum eodem iure, opinor, v. d. XXX annos tum natum dixisset oratorem. Nam

28) § 133.

29) D. m. § 132.

30) D. m. § 118.

31) Wachsmuth, Hellen. Alterthumskunde I. § 103, 19 e. q. s.

32) L. I. pg. 38.

eum merito illo ex loco concludere possis, Andocidem aliquanto minorem fuisse, quam, Plutarchum si sequeris, statuendum tibi esset, idem locus tantum abest, ut obstet, quominus ulterius progressus aliquot etiam annis minorem illum putes, quam placet Vätero, ut tota huiusce v. d. argumentatio vel melius in tricenarium cadat. Atque proveciorem aetate Andocidem tum non fuisse, etiam magis patebit ex iis, quae de se orator in oratione de reditu, quae, quin re vera ab illo habita sit, dubium non est, commemorat: <sup>33)</sup> *Οὐ γὰρ φθόνου μᾶλλον ἢ οἴκτου ἄξιά μοι ἐστὶ τὰ γεγενημένα· ὅς ἐστι τοσοῦτον ἦλθον τῆς ἑμαυτοῦ δυσδαιμονίας, εἴτε χρὴ εἰπεῖν νεότητι τε καὶ ἀνοίᾳ, εἴτε καὶ δυνάμει τῶν πεισάντων με ἐλθεῖν εἰς τοιαύτην συμφορὰν τῶν φρενῶν, ὥστ' ἀνάγκη μοι γενέσθαι δυοῖν κακοῖν τοῖν μεγίστοιν θάτερον ἐλέσθαι κ. τ. λ.* Qui locus, quem obiter et quasi praetereuntem Vaterum tetigisse, miror, mihi gravissimum visus est de aetate Andocidis afferre testimonium. Loquitur ibi orator de quaestione illa ab Atheniensibus Ol. 91, 2 Hermarum deiectorum et mysteriorum profanatorum causa habita. Post Pythonicum, Agaristen, Teucrum, Lydum Diocides tandem exstitit index. Accusavit autem, qui Hermas mutilassent, et multos alios et Andocidem cum patre multisque cognatis, qui statim in vincula publica coniciebantur. Cuius delatione qui metus Atheniensibus incussus sit, quo tum stimulata furore saevierit multitudo, ex ipsius Andocidis orationibus <sup>34)</sup> facile potest colligi. Neque vero, quo tum effrenato et praecipiti furore cives agitabantur, mortem effugisset Andocides, nisi eorum, qui scelus commisissent, nomina et inter ea suum detulisset. Et detulit, sperans, fore, ut *ἄδειαν* delatori promissam sibi darent cives. In illud vitae discrimen adductus, quod conscios edidisset, cum aliquot annis post Andocidi de reditu dicenti — id quod Ol. 92, 2 extr. factum esse, amplius dubium non est — ab adversariis crimini datum esset, „iuvenili igitur id factum imperitia“, dicit et sic delictum illud, si quod erat, excusatum haberi voluit. Quamquam vero vis vocabuli *νεότης* certa omnino non est, neque constat, qui annus apud Graecos finis aetatis iuvenilis fuerit, facile tamen apparebit, Andocidem, Plutarcho teste, eo tempore quo Hermarum deiectorum reus ageretur, (Ol. 91, 2) quinquaginta tres annos natum, si paucis annis post (Ol. 92, 2) contendisset, se iuvenili imperitia ita fecisse atque ab aliis inductum, non profecto miserationem commovisse sed sibilis explosum fuisse. Quam excusationem cum vix afferre potuisset annos natus viginti, quo usque aetate proveci sui iuris atque potestatis esse Athenis iuvenes coeperant et in numerum civium adsciscebantur, tum certe, cum ad annum aetatis tricesimum propius accederet, uti ea non potuit, qua inde ab aetate civibus inter *ἡλικιωτάς* e lege sortiri licuit, quod non ita lege sanxissent Athenienses, nisi persuasum habuissent, quemlibet eius

<sup>33)</sup> § 7.

<sup>34)</sup> D. m. §§ 36, 43—46; d. red. § 8.

aetatis tanta esse constantia, temperantia, sapientia, quanta eos, qui illo munere funguntur, esse oportet. Itaque ne eam quidem aetatem, qua ex calculis Vateri tum esse debebat Andocides, cum de Hermis violatis mysteriisque profanatis quaestio Athenis haberetur, ea decent, quae de reditu dicens, illo, quem nos tractamus, loco ad se defendendum coram civibus profert. Ardorem juvenilem excusanti vel iactanti iuveni quinque et viginti annorum facile indulgissent Athenienses, cum haud raro is seni decori habeatur, sed hic totum contra est. Nam timorem, ne cum patre et tot cognatis ipse pereat, atque imprudentiam et rerum inscitiam, quibus factum sit, ut facile aliis persuadentibus cederet, causas ab Andocide allatas esse, propter quas quattuor annis ante in illa quaestione delator exstiterit, locum illum attente legentem vix fugere poterit. Haec cum ita sint, quomodo, quaero, civibus se commendasset orator, si, id quod, credo, vicenario vix ignovissent, timore praesertim commotum tam inconsiderate se, quamquam quinque et viginti annos natum, egisse, palam confessus esset. Neque ego tam imprudentem Andocidem existimo, ut credam, illum argumentis ineptissimis rem defendisse, quam silentio praeterire licebat, ideoque non possum, quin censeam, eum, tum cum sacrorum violatorum reus fieret, viginti annos non explevisse.

Quod quidem affirmabitur inita aetatis affinium Andocidis ratione, qua ipsius quoque oratoris annum natalem coniectura assecuti, ne vera certaue exsecuti fuerimus, tamen quae ad veritatem prope accedant, reperisse nobis videmur. Et fundamento quasi huic quaestioni ea sunt, quae de se suisque accuratissime et uberrime profert Andocides in oratione de mysteriis profanatis, quam Ol. 95, 1 habitam esse, supra demonstravimus. Ad hunc usque annum inde ab avo fere trium familiarum matrimoniis inter se iunctarum stirpem ordine enumerare liceat, quo, quae sequentur, melius cognoscantur.

Leogoras, pater Andocidis, filiam duxerat Tisandri, ex qua natus est ipse orator.<sup>35)</sup> Tisandro duo praeterea, quod scimus, liberi fuerunt: Epilycus,<sup>36)</sup> qui ex Ischomachi filia<sup>37)</sup> duas filias, tum cum ipse in Sicilia diem supremum obiit, infantes<sup>38)</sup> progenuit, et filia, quae Xanthippo Periclis filio nupsit.<sup>39)</sup> Ischomacho ex Chrysiade altera quoque nata est filia, quae<sup>40)</sup> Calliae Hipponici filio nupsit, cui iam filius Hipponicus e filia Glauconis<sup>41)</sup> erat.

Stemma igitur hoc est:

35) D. myst. § 117.

36) And. de pace § 29.

37) D. myst. § 124 et 128.


38) D. myst. § 120.

39) Plut. vit. Pericl. 36 et quae Vaterus l. l. pag. 42 ad hunc locum monet.

40) D. myst. § 128, quae conferas cum §§ 124, 125 extrem. et 127 extrem.

41) D. myst. § 126.

**Stemma.**





Quorum cognatorum et affinium aetatem computaturis nobis normam quasi atque regulam illud sumpsimus, quod de aetate, qua Athenis cives matrimonia inire solebant, inter omnes fere constat. Quamquam vero facile concedimus, vulgo morem Athenis fuisse iuvenibus, quo tempore in numerum civium relati in foro versari coeperint, eo ducere uxorem, virgines autem iam quinto decimo aetatis anno viris maturas esse habitas, <sup>42)</sup> re vera tamen multos non ea ipsa, qua per leges moremque licebat, aetate, sed paulo post fortasse matrimonia iniisse, probabile videtur, praesertim cum rei familiaris condicio hac in re non minimum valeret et parentum potius cura quam sponsorum amore nuptiae conciliarentur. Itaque si omnino, quod ad nostram potissimum quaestionem pertinet, statuimus, in illis, quas supra commemoravimus, familiis virgines sedecim annos natas a iuvenibus duorum et viginti annorum fortasse ductas esse, quamquam propter divitias, quibus florebant, prae ceteris matura ab iis inita esse matrimonia, credibile est, valde nos errasse, vix arbitramur.

Quibus praemissis, iam in eo sumus, ut singula perscrutemur conferamusque.

Relatum legimus in oratione de mysteriis profanatis, <sup>43)</sup> Calliam illum a Leagro, cuius affinis matrimonio illo, quod inierat cum Glauconis filia, factus fuisse videtur, <sup>44)</sup> filiam Epilyci Leagro ex iure Atheniensium addictam sibi petiisse et, cum intercedente Andocide non impetrasset, filio suo Protarcho poposcisse, quem genuerat e Chrysiade, <sup>45)</sup> Ischomachi vidua, cuius iam antea filiam duxerat. Quem filium, cum antea eirasset, aliquanto, ut videtur, ante hoc tempus coram collegio *κηρύκων*, suum esse, iureiurando affirmavit *ἤδη μέγαν ὄντα*, ut dicit Andocides. <sup>46)</sup> Quo loco vocem *μέγαν* nihil nisi „adultum“ significare, tum ex iis, quae brevi ante dicit orator, tum ex aliis locis elucet, quibus eodem modo hoc vocabulum usurpatum invenimus; <sup>47)</sup> quapropter facile adducor, ut credam, filium illum Calliae ex Chrysiade eo tempore, cum a patre agnosceretur, sedecim annos natum, qua aetate <sup>48)</sup> apud Athenienses adulescentes iisdem fere caerimoniis, quibus antea infantes, inter *φράτορας* et *γενήτας* referebantur, <sup>49)</sup> et, cum haberetur oratio illa, (Ol. 95, 1) iam *περίπολον* fuisse. Hoc posito, lucem Protarchus aspexit Ol. fere 90, 2 et anno ante (Ol. 90, 1) teste Andocide <sup>50)</sup> divortium fecit Chrysiadis filia, quam duxerat Callias Ol. fere 89, 4 eodem teste <sup>51)</sup> — *ταύτη δὲ συνοικήσας*

42) Cf. Wachsmuth, Hell. Alterthmsk. II. § 117. 24; Becker Charicles II. 449, 451. C. F. Hermann Griech. Staatsalterth. § 123, 9.

43) § 121.

44) Cf. quae ad Sluiteri lect. Andoc. annotavit Schillerus pg. 56.

45) De myst. §§ 124—129.

46) Ibid. § 127.

47) Hom. Odyss. II. 314, XVIII. 217.

48) C. F. Hermann, Griech. Staatsalterth. § 123, 3.

49) Ibid. § 100, 2 c. q. s. Wachsmuth, Hell. Alterthmsk. I. § 41. 23—25.

50) De myst. § 125.

51) Ibid. § 124.

οὐδ' ἐνιαυτὸν τὴν μητέρα αὐτῆς ἔλαβε. Quae igitur, si Calliae nupsit sedecim annos nata, lucem aspexit circiter Ol. 85, 4 et Epilycus, si alteram filiam Ischomachi duobus, ut videtur, annis post (Ol. 86, 2) natam et nubilem Ol. fere 90, 1 eo ipso anno duxit, Ol. 84, 3 natus esse videtur. Neque discrepant, quae de filiabus, quas hac ex uxore procreavit Epilycus, ab Andocide relata legimus. Nam alteram eius filiam, quae postea patre circiter Ol. 91, 3 in Sicilia interfecto Andocidi addicebatur, Ol. 90, 2 vel 3 natam, alteram, quae Leagro, Ol. 90, 4 vel 91, 1 fere natam esse<sup>52)</sup> et tum, cum filio in matrimonium peteret Callias, iam viro maturam fuisse, credibile est, atque eo quoque, quod tum primum sibi ipsi Callias eam postulaverat, concludi poterit. Vix enim liquet, quomodo factum sit, ut Callias iste iam, antequam nubilis esset virgo, tantas molestias subiret neque exspectaret, numquid casus aut fors fortuna sibi faverent, dum pubertatem puella ingrederetur.

Haec erant eruenda, cum vel plurimum nostra interesset, ut Epilyci sororumque, quarum altera mater fuit Andocidis, annos nosceremus natales, quibus repertis, facile, quo anno circiter ipse natus sit, conicere poterimus.

Itaque cum iam ex iis, quae diximus, eluceat, Epilycum Ol. circiter 84, 3 natum esse posse, alteram sororem, quae Leogorae nupsit, licet aliquot annis maiorem Epilyco statuas, Andocides vix ante Ol. 87, 3 procreatus esse videtur. Sed cum non unus radius satis luminis sit allaturus, aliam quoque viam ingrediamur, quae vel melius ad eundem fere finem nos perducet.

Tisandro, Epilyci patri, vidimus, duas fuisse filias, quarum altera Leogorae nupsit, patri Andocidis, altera Xanthippo, Periclis filio, quem Ol. fere 87, 1 hoc matrimonium contraxisse Vaterus<sup>53)</sup> argumentis satis firmis probat. Atque haec filia, quam *λέαν* Plutarchus<sup>54)</sup> a Xanthippo ductam dicat, Ol. fere 83, 2 nata videtur, alteram, si paulo maiorem fuisse statueris, haud perperam Ol. fere 82, 4 natam et Ol. 86, 4 Leogorae nuptam iudicabis, unde colligere licebit, Andocidem Ol. fere 87, 1 procreatum esse.

Neque, quae tali modo reperimus, iis repugnant, quae supra de Epilyco eruimus. Nam si paulo minorem uxore Xanthippi illum probas et natum Ol. fere 83, 4 vel 84, 1, iam circiter Ol. 89, 3 matrimonium cum Ischomachi filia inire potuit, sed, quominus ante pacem, quam dicunt Niciae, faceret, tempestatem belli impedimento fuisse, credibile est. Quam ob rem hac quoque via eadem fere, quae altera illa, comperta habemus.

Repugnare vero videntur, quae dicit Andocides,<sup>55)</sup> se ipsum post mortem Epilyci cum Leagro egisse, ipsum filiam illam *ἐπικληρον* a iudicibus petiisse, — id quod ante Ol. 92, 2 factum esse videtur, quo primum anno illum peregre mercaturam facientem

52) Ibid. §§ 117 et 120.

53) R. And. part. I. pg. 42 extr.

54) Vit. Pericl. 36.

55) De myst. § 119.

reperimus ideoque iam civitate carentem <sup>56)</sup> — cum cōstet Andocidem ex calculis nostris Ol. 87, 1 natum, si ante Ol. 91, 2 Epilycus mortuus esset, vix sui iuris fuisse, si in ipsa in Siciliam expeditione, Lysias obstet, qui in oratione, quam vocant Lysiae in Andocidem, <sup>57)</sup> contendere videtur, Andocidem, simulac vinculis liberatus fuerit, infamem civium suffragiis factum esse. Dicit enim: *ἔδοξε τῶν ἀλλοθῶν μὴνῶσαι καὶ ἐλύθη, καὶ προσεψηφίσασθε ὑμεῖς αὐτὸν εἰργεσθαι τῆς ἀγορᾶς καὶ τῶν ἱερῶν . . .* quo loco illud *πρὸς εψηφίσασθε* vix intellegendum, nisi dictum putes, Andocidi, cum vera dixisse visus esset, e custodia dimisso a civibus sive eodem decreto, quo vinculis eum liberarent, sive alio quodam confestim addito civitatem adeptam esse. Atque oratorem ibi de Hermarum deiectionum causa loqui et de *ἀτιμίᾳ*, qua inde multatus sit Andocides, totius loci color facile declarat. Sed Lysiae hanc orationem non esse, tot viri docti, idque argumentorum momentis tam gravibus demonstrarunt, ut illos sequi minime dubitem illamque a rhetore quodam multo post Lysiam conscriptam esse censeam. Quo in numero illustrissima reperies capita Ruhnkenium, Valckenaerium, quorum auctoritate nisus imprimis est Sluiterus, <sup>58)</sup> cum et ipse luculenter fuseque hac de re disserendo Lysiae hanc orationem abiudicet, idemque iam a grammaticis antiquis factum esse, ex Harpocrate <sup>59)</sup> probet. Neque quemquam profecto fugere poterit, illam ab ea, quam in ceteris Lysiae orationibus laudamus, dicendi ratione concisa elegantique abhorre et multis praeterea laborare erroribus, quos nec fingere Lysias, nec credere iudices facile potuerunt. Idem Sluiterus, aliquanto post Lysiam ex rhetorum scholis illam prognatam esse, eodem loco validis suadet argumentis. Qui cum, sumpta plerumque materia, de qua dicent, ex annalium memoria, res gestas, quas narrabant aut aliter ac proditae erant sive amplificando sive detrahendo exponere, aut nova falsaque utut placebat, fingere facile possent, dummodo legibus ea accommodarent moribusque, qui eo tempore valebant, quo facta illa simularent, multa ab iisdem incerta, multa falsa, multa denique vera quidem, sed alio, quam quo ipsi dicant tempore, facta et aliis de causis pro certis tradi, nemo certe erit, qui infitari possit. Quapropter neque cum Vatro fecerim, cum in partes vocet personatum oratorem <sup>60)</sup> et eo quoque, quod profert: Andocidem *πλέον ἢ τετταράκοντα ἔτη γεγονότα* stipendia nunquam meruisse, demonstrare conetur, Plutarchum errasse, cum Ol. 78 natum Andocidem perhibeat. Nam haec quoque in re quo magis elucet, qua re ductus simulatus ille orator hoc potissimum opprobrio Andocidem impugnet, eo minor fides illi habenda est. Id enim hoc loco agit, ut convicia in illum cumulet, quibus, si re vera in iudicio habita esset oratio, iudicum animos ab An-

56) De red. §§ 11 et 12.

57) §§ 23 et 24. Bekk.

58) Lect. And. 174.

59) Ibid.

60) R. A. part. I. pg. 40 c. q. s.

docide abalienari necesse erat. Quae verisimilia, cum aliunde fortasse promere non posset, ipsas Andocidis orationes adiit, in quibus, cum multa in rempublicam merita ab illo commemorata legisset, de rebus bello fortiter gestis nihil praedicatum invenisset, libentissime inde coniecit, militiam illum detrectasse, quod delictum, quo gravius appareret, aetate proveciorem, quam re vera fuit, ut illum fingeret, facile fieri potuit. Itaque si aliquam hac in re e mentito oratori fidem addere placebit, iam nostrae magis, quam Vateri de anno natali Andocidis sententiae favet et ipse Vaterus, qui censet, „non fictam esse orationem, sed aut a Lysia scriptam aut ab alio huius aetatis rhetore,“ vel melius, ut opinor, inde collegisset, Andocidem, cum de mysteriis profanatis causam diceret, minorem XL annis fuisse, si modo quae dicit: <sup>61)</sup> „oratoris enim est augere et minuere sed non falsa fingere, quae facile refutari possint,“ bene intellexerimus.

Sed ut eo revertamur, unde exiimus, a nullo fere alio scriptore litteris mandatum videmus, Andocidem, simulatque e carcere dimissus esset, continuo infamia affectum esse, neque comprobatum reperimus, eum in vinculis per totum annum fuisse, ut idem e mentitus orator <sup>62)</sup> narrat, sed, rem ita se non habere, aliunde elucet. Nam Thucydides auctor locupletissimus haec refert: <sup>63)</sup> *καὶ ὁ μὲν αὐτός τε καθ' ἑαυτοῦ καὶ καθ' ἄλλων μὴνύει τὸ τῶν Ἑρμῶν ὁ δὲ δῆμος τῶν Ἀθηναίων . . . . τὸν μὲν μηνυτὴν εὐθὺς καὶ τοὺς ἄλλους μετ' αὐτοῦ ὅσων μὴ κατηγορήσει ἔλυσαν . . . .* Quo quidem loco Thucydidem de Andocidis delatione agere facile intelleges, si modo ista et quae paulo ante <sup>64)</sup> affert, cum iis conferre placet, quae apud Andocidem legimus, quocum, quamquam nomina tacet, in rebus enarratis prorsus fere consentit.

Dicit igitur scriptor gravissimus, delatorem Andocidem, simulac nomina detulisset, vinculis liberatum esse. Quamobrem, si vere narrasset Pseudolysias, inde colligi necesse esset, Andocidem, antequam index exsisteret, per totum annum in custodia publica fuisse, cui quidem rei ipse orator in oratione de mysteriis profanatis habita repugnat. Narrat enim, eodem die, quo Diocliides nomina eorum detulisset, quos Hermas violasse mentitus esset, iussu senatus, qui eo ipso die omni modo reipublicae prospexisset, <sup>65)</sup> se suosque in custodiam esse coniectos; in qua, inquit, cum omnes fuissent, sub vesperum ianua iam clausa venisse cum liberis cognatas proximas, earumque precibus et Charmidae consobrini hortatu commotum <sup>66)</sup> se non dubitasse, ea quae dudum comperta habuisset, coram senatu patefacere. Quod quidem eodem, quo vincti essent, die et postero factum esse, quamquam diserte non dicit Andocides, tamen eo patet, quod in narratione <sup>67)</sup> per-

61) Ibid. pg. 41.

62) § 23 Bekk.

63) VI, 60 extrem.

64) VI, 53.

65) D. m. § 45.

66) Ibid. § 48.

67) Ibid.

git, quasi nulla res alia neque aliud quoddam factum intervenerit. Denique minime credibile est, Athenienses per totum annum in vinculis tenuisse homines illos ad perniciem reipublicae, ut quidem opinabantur, coniuratos, auxilio Lacedaemoniorum, quorum copiae prope erant, fretos, rerum evertendarum cupidos, neque extemplo capitis litem illis intulisse, quo nihil ea potissimum suspicione, perturbatione, qua tota tum concutiebatur civitas, facilius fieri poterat.

Quae cum ita sint, nihil, credo, obstat, quominus Andocidem statim e custodia dimissum et haud multo post duodeviginti vel undeviginti annos natum filiam *ἐπικληρον* Epilyci, quem in Sicilia periisse tum Athenis notum esse potuit, ab iudicibus petiisse putemus. Et vere quidem narrat Pseudolysias, Andocidem populi decreto civitatem amisisse, cum ea ipsa res ipsius oratoris praecipue verbis affirmetur, attamen hoc illi non continuo ex ipso illo facinore, sed potius ex factionum perpetuis certaminibus spatium interiecto profectum esse, iure quidem putamus. Nam *ἀδειαν* a civibus sibi promissam et datam esse, diserte dicit Andocides in oratione de reditu: <sup>68)</sup> *ὥς δὲ καὶ δίκαια ἔστιν, εἴσοσθε. ἃ γὰρ μοι αὐτοὶ γρόντες τε καὶ ὑποσχόμενοι ἔδοτε, ὕστερον δὲ ἑτέροις πειθόμενοι ἀφείλεσθε* — — — neque alii desunt loci, quibus idem probetur. <sup>69)</sup>

Sed illud quoque, quod narrat Plutarchus, <sup>70)</sup> quem hac in re secuti sunt Beckerus <sup>71)</sup> et Sluiterus, <sup>72)</sup> Andocidem Glauconemque Corcyraeis contra Corinthios viginti navibus auxilio venisse, cum iis, quae nos de oratoris anno natali eruisse nobis videmur, pugnare, nemo non videt. Quod cum non minus Vateri calculos impugnet, iam ab ipso variis argumentis e Pseudolysia praesertim desumptis refellitur, <sup>73)</sup> quorum in locum unum illud attulisse satis habuisset, Andocidi tum ob nuptias nondum initas, <sup>74)</sup> quominus classi praesset, ipsas leges impedimento fuisse. <sup>75)</sup> Et non inepte coniecero, expeditionem illam, quam memoriae mandavit Plutarchus, cum ea sine dubio fuerit, qua interveniente pugna illa navalis apud insulas, quas Sybota dicunt, interrupta est Ol. 86, 4, <sup>76)</sup> quo quidem tempore orator secundum ea, quae de anno, quo natus sit, nos calculis subducendis reperimus, vix procreatus esse potuit, duce potius avo eius Andocide factam esse atque inter ea referendam maiorum merita, quae in oratione de mysteriis profanatis nepos factat. <sup>77)</sup> Quorum laudem bellicam magnificentius quam verius, ut vi-

68) § 22.

69) Ibid. § 9, de myst. § 20, Thuc. VI, 60.

70) XII. pg. 227 Hutten.

71) Becker And. übers. u. erl. pg. 11.

72) L. I. pg. 9.

73) L. I. pg. 21.

74) De myst. § 148.

75) C. F. Hermann I. I. § 129, 10; § 152.

76) Thuc. I. 24 et 51.

77) § 147.

delur, cum praedicet, quae ipse bello fortasse gesserit, modestia ductum oratorem tacuisse, credibile sane non est, sed potius adducor, ut credam Andocidem ne in illo quidem bello, quo tum tota fere Graecia movebatur, stipendia meruisse. Quae res primo quidem effecta aetate militiae nondum matura, post infamiae calamitate, qua paulo ante vicesimum belli annum affectus est, a rhetore illo, qui orationem illam, quae inscripta est „Lysiae in Andocidem,“ conscripsit, rerum imperito libentissime arrepta est, quam in opprobrium Andocidi verteret. Itaque haec quoque nostris calculis congruunt.

Verum illa omnia levia sunt prae iis, quae in oratione de reditu contra nostras rationes pugnantia exstare videntur, ubi haec dicit Andocides: 78) *Τάδε γάρ οὐ ψευσαμένῳ μοι λαθεῖν οἶόντ' ἐστὶ τοὺς γε πρεσβυτέρους ὑμῶν, ὅτι ὁ τοῦ ἐμοῦ πατρὸς πρόπαππος Λεωγόρας στασιάσας πρὸς τοὺς τυράννους ὑπὲρ τοῦ δήμου, ἐξὼν αὐτῶ διαλλαχθέντι τῆς ἐχθρας καὶ γενομένῳ κηδεστῇ ἄρξαι μετ' ἐκείνων τῶν ἀνδρῶν τῆς πόλεως, εἴλετο μᾶλλον ἐκπεσεῖν μετὰ τοῦ δήμου καὶ φεύγων κακοπαθεῖν μᾶλλον, ἢ προδότης αὐτῶν καταστῆναι. . . .* Rei difficultas insuper augetur altero loco, qui est in oratione de mysteriis profanatis: 79) *Οἱ γὰρ πατέρες οἱ ὑμέτεροι γενομένων τῇ πόλει κακῶν μεγάλων, ὅτε οἱ τυράννοι μὲν εἶχον τὴν πόλιν, ὁ δὲ δῆμος ἔφυγε, νικήσαντες μαχόμενοι τοὺς τυράννους ἐπὶ Παλληνίῳ, στρατηγούντος Λεωγόρου τοῦ προπάππου τοῦ ἐμοῦ καὶ Χαρίου οὗ ἐκεῖνος τὴν θυγατέρα εἶχεν, ἐξ ἧς ὁ ἡμέτερος ἦν πάππος, κατελθόντες εἰς τὴν πατρίδα τοὺς μὲν ἀπέκτειναν, τῶν δὲ φυγὴν κατέγνωσαν, τοὺς δὲ μένειν ἐν τῇ πόλει ἔασαντες ἡτίμωσαν.* Neque vero solum hi loci inter se pugnare, [qua de re pluribus disputatum reperies a Sluitero, 80) Vaterno, 81) aliis] sed etiam a nostris calculis abhorere videntur. Vix enim quemquam fugere poterit, si, quam in Andocidis anno natali explorando statuimus normam, eandem in aetatibus maiorum ad calculos vocandis sequamur, Andocidis neque πατρὸς πρόπαππον neque πρόπαππον ea fuisse aetate atque condicione, ut contra tyrannos unquam pugnaverint. Qua re etiam praetermissa multi viri docti operam dederunt, ut eam, quae est inter utrumque locum, discrepantiam tollerent expedirentque, nec tamen omnis dubitatio sublata est et ea, quae nobis potissimum occurrit difficultas, intacta prorsus mansit.

Missis igitur, quae a Sluitero et Vaterno de his dicta sunt locis, quorum vv. dd. libelli digni sunt, quos adeas, iam quae ipse iis, quae praesto erant, ad rem expediendam adiumentis, eruere tentavi, paucis liceat afferre. Et primum quidem, quamvis Vaterno assentiar, qui, de diversis temporibus utroque loco oratorem locutum esse, contendit, ea tamen, quae de Leogora illo idem in oratione de reditu narrat, ad illam aetatem spectare, „qua Pisistratus et filii habuerunt urbem,“ minime puto, sed persuasum habeo,

78) § 26.

79) § 106.

80) L. I. 8.

81) R. And. part. I. pg. 12.

τυράννο υς<sup>82)</sup> potius significare, Pisistratidas, a quibus Leogoras ille tum descivisset, cum Ol. 66, 3 Alcmaeonidae redeuntes Lipsydrium munirent multosque ex urbe propter Hippiae crudele imperium eo confugientes — *εἴλετο μᾶλλον ἐκπεσεῖν μετὰ τοῦ δήμου* —<sup>83)</sup> exciperent, paulo post autem a tyrannis victi omnes ex Attica pellerentur — *καὶ φεύγον κακοπαθεῖν μᾶλλον (εἴλετο) κ. τ. λ.* —<sup>84)</sup> Neque obstat, quod tyrannos dicit Andocides, cum etiam interfecto Hipparcho Herodotus passim numero plurali *τύραννοι* utatur, totam nimirum illorum factionem significans. Sed quod Leogoram, qui a tyrannis desciverit, *πατρός πρόπαππον* vocat orator, iure quidem offendit Sluiterum, qui sollemnem hanc nominum apud Athenienses fuisse *διαδοχήν*, ut avi nomen nepoti iterum daretur, optime monet.<sup>85)</sup> Quae quidem res cum ita sit, oratoris *πατρός πρόπαππος* Andocidis sane nomen habere debuit eamque ob rem, eo, quem tractamus, orationis de reditu loco Andocidem aut de *προπάππῳ* suo aut de *πάππου προπάππῳ*, quorum in utrumque Leogorae nomen ex illo Atheniensium more quadrat, Andocidem locutum esse, verisimillimum utique est. Equidem lectionem *τοῦ ξμοῦ πάππου πρόπαππος* praefendam censeo, non solum quod facilius fieri potuit, ut verbum *πάππου* librariorum incuria in *πατρός* mutaretur, quam ut totum illud vocabulum *πατρός* temere adderent, sed etiam quod illa ratio, qua in aetatibus cognatorum et affinium oratoris computandis supra usi sumus, idem suadere videtur. Namque eadem ratione, Andocidis oratoris *πάππου πρόπαππον* eo tempore, (Ol. 66, 3) quo cum populo tyrannos impugnaret, in flore aetatis fuisse, facile evincitur.

